

/ Ill<sup>me</sup> ac R<sup>me</sup> Dne. Anno praeterito exierunt apud nos, quod minime latere credo dignitatem tuam, duo libri veneno periculossissimo conspersi. Unus Barclaio Scoto authore et iamdudum a tua Ill<sup>ma</sup> Dom<sup>e</sup> ad plurimorum in istis partibus consolationem plenissime confutatus, ita ut nonnulli ~~quos~~ dicto veneno liber ille infecerat etiam ex doctioribus te docente, et disputante illuminationes facti maiori nunc constantia, et animi ardore in fide cath<sup>ca</sup> immobiles persistent. Alter vero nomine Rogeri Widdringtoni, tametsi eius opera utpote laici coniugati, et non adeo litterati, id  
10 factum esse pauci existiment. Quicumque autem ille fuerit cum subtilius Berclaio, et explicatius rem attigisse a multis censeatur, procul dubio plus attulit damni nostris nobilioribus Cath<sup>cis</sup> in fide praesertim infirmioribus, et qui potius simulatione, et ingenio, quam iustitia, et veritate delectantur. Contra  
15 mirum istum tanquam alterum Goliath exprobrantem agminibus Israel mirisque suorum laudibus elatum, si Dom. tua Ill<sup>ma</sup> admirabilis doctrinae tuae praeclarissima funda breviter similem in modum voveris dimicare, vix potest calamo describi quam ineffabilis fructus ex huiusmodi labore proveniat. Sic enim multi eius argutiis  
20 et sophisticationibus hallucinati ad fidei veritatem firmiter retinendam citius adducentur. Si vero ep<sup>i</sup>, sicut alibi fit per universam ecclesiam, nobis praessent, facilius hoc malum scribendi impios libros in eis qui catholici haberi cupiunt potuisset supprimi. Sed cum tam necessario auxilio annis fere quinquaginta  
25 hactenus omnino privati vitam sine omni bono ordine transivimus, minime cuiquam mirum videri debet, si mille id genus incommoda apud nos evenire conspexerit. Ad tanti vero detrimenti removendi omnem occasionem, nos qui hostium telis quotidie perculsi horum temporum malitiam satis percepimus, omni studio nitimur ut humil-  
30 limis precibus istiusmodi praesules supra nos constitui curemus. Et hanc ob causam non ita pridem unanimi multorum fratrum con-

1 / sensu supplices rogavimus ipsum Pontificem Max. ut hac in re be-  
nigne nos exaudiat. Istam porrho nostram aequissimam postulatio-  
nem tuae Ill<sup>mae</sup> Dom<sup>is</sup> patrocinio non veremur commendare, eam per  
misericordiam Dei impense obsecrantes, ut suo suffragio rem ad  
5 huius afflictissimae ecclesiae bonum maxime necessariam, apud suam  
Sanct<sup>m</sup> efficaciter promovere velit. Nullum sane non movent lapi-  
dem haeretici ad eiiciendam catholicam fidem è mentibus hominum,  
et quis prudens nos vituperabit si omni cura non obstante gra-  
vissima persecutione incumbamus in hoc, ut ad pugnandum contra  
10 ferocissimos et callidissimos hostes spiritualem aciem ordinatio-  
rem, petendo tam pretiosam margaritam invitis ipsis inimicis et  
politicis, illaesa custodire conemur? En R<sup>me</sup> D<sup>ne</sup>, quam confiden-  
ter tecum agimus tua humanitate freti. Quod et ego certe eo fi-  
dentiùs in me suscepi, quo tibi magistro uti discipulum maiori  
15 gratitudinis vinculo devinctum me esse agnosco. Ante annos enim  
supra triginta audiivi te docentem Romae et exigua illam quam tunc  
temporis adeptus sum litteraturam Deo servatori tuaeque Ill<sup>mae</sup> Dom  
acceptam fero. Quem ob eam praecipue causam instantissime semper  
deprecabor ut ad confutandas haereses omnes eam longissime in hac  
20 vita servet incolumem, et postea pro eximiis meritis eternae foe-  
licitatis corona remuneret. Dat. Lond. die tertio febr. 1612.

Ill<sup>mae</sup> Dom<sup>is</sup> tuae addictissimus

(G.B.)